



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quòd omnibus animæ morbis medeatur. Cap. xxxj.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

rantis, attendat; Ne cum terrena largitur, suam plusquam necesse est, inopiam pertimescat; & in oblatione muneris hilaritatis lumen tristitia obscuret. Si hæc omnia præstat fratrum dilectio, rationi consonum est, ut vniuersis virtutibus tamquam finis omnium præferatur, & in eius perfectione maior nostra cura consistat.

Omnes quidem virtutes necessariae sunt, & proficiunt scientibus Deum, & ad eum cupientibus peruenire; sed cum charitas aliarum conatum, & laborem suppleat, maiorem in sui obseruationem diligentiam requirit. Alij castigando corpori insistant, illis que aspernentur qui aut imbecillitate compulsi, aut occupationibus laboriosis impediti, flagellis, cilicij vsu, assiduisque ieiunijs, ac vigilijs, corpusculum semper macerare non possunt; nos insistant dilectioni, & neminem spernamus. Alij silentium, & eremiticæ sectæ sectentur, hominumque consortium fugiant, & eos irrideant, qui Domini exemplis incitati, bonam noctis partem in sanctis meditationibus, ac diuinis colloquijs consumunt, die verò in proximorum salutem incumbunt; nos amorem sanctum consecemur, & solitudini deditos non irrideamus, sed magna reuerentia suspiciamus. Alij assiduis distentionibus occupentur, & propriæ perfectionis obliui, indiscrète totos dies in hominum (ut ipsi putant) salutem impendant, vnitatem religionis continuis obmurmurationibus lacerent, suisque fratribus detrahant, qui proprias vires metientes, non se ipsos effundunt, sed prudenter, iam proximis, iam propriæ mentis profectui insistant; nos verò amore occupemus, & murmuratores oratione iuuenimus, & neque illis, neque alicui detrahimus. Cum ergo fraternæ dilectio sit omnium mandatorum custodia, bonarum actionum compendium, & vniuersarum virtutum finis, ac planè simul cum dilectione Dei spiritualis vitæ perfectio; merito Christus eam suam vocat mandatum, dicens: Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Iure optimo hanc legem in manu sua tenere gloriatur, ut scriptum est in Deuteronomio: Et in dextera eius ignea lux.] Non tantum habet Christus hanc legem in corde, fratres suos, hoc est, nos omnes reuerentiè diligens, non tantum in ore, verbis & doctrina dilectionem edocens: sed etiam in dextera operibus exhibens. Ut non decipiamus nos ipsos, existimantes corda esse igne charitatis accensa, si verba sunt detractionis plena, & opera felle indignationis referta. Et ut diligamus non verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.

Ioan. 15.

Deut. 33.

1. Ioan. 3.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quòd omnibus animæ morbis medeatur.

CAP. XXXI.

ADhuc alias causas, ob quas Christus Saluator noster hanc perfectionis partem suam mandatum appellauit, diligenter inquiramus, quæ non parum huius charitatis, quam tractamus, excellentiam patefaciunt, eamque ad ipsam perfectionis naturam pertinere, euidenter ostendunt. Si enim perfectio non solum maximas, sed minimas etiam mentis ægotationes curat, præceptum eam continens vocetur præ omnibus Christi præceptum, quod solum sufficiens est, quatenus ad omnia opera virtutis instigat, vni-

uerfis nostris morbis mederi, ac vulnera nostra curare. Quodnam peritus medicus suum mandatum præcipuum diceret? Certè illud, quod inter omnia à se proposita, ad ægrotum morbo liberandum efficacissimum iudicaret. Nam si ægrotum cruditate laborantem inuilar, cognita ægritudinis, tum qualitate, tum causa, & varijs remedijs, multisque medicamentis in vsu infirmi recensitis, tandem sermonem suum ita concludit. Hoc mando tibi, ut à cibis temperes, & abstinentiam, ac sobrietatem ac cetera custodias, sine qua, alijs etiã medicamentis adhibitis, haud quaquam salutem concupiam, assequeris. Sic omnino Christus celestis medicus fecit, qui hominem è cælis curaturus aduenerat. Vidit hominem cruditate laborantem (nam in conuiuio paradisi, quod veterinosus serpens illi parauerat, propriæ excellentiæ desiderio fuerat faciatus, & proprii amoris concupiscentia repletus) & multa adhibuit medicamenta, quæ huic ægritudini mederentur, & eã paulatim, & quasi per partes curarent. Ad eius quippe curationem tot lata sunt, & tam salubria mandata. Non mæchaberis, non furtum facies, non concupisces res proximi tui, nec desiderabis vxorè eius, & reliqua huiusmodi. Sed istis mandatis tamquam medicaminibus saluberrimis adhibitis, tandè sapiens medicus & vera sapientia Patris, postremum, ac omnium efficacissimũ, & finem aliorum intulit, dicens: Hoc maxime inter alia mandata sit præceptum meum, o homines amoris inordinati morbo impediti, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.] Dilectio enim tamquam perfecta animæ salus, & quæ virtute omnium aliorum medicamentorum efficacitatem continet, velut à principio curatione orditur, & radices euellit vestròrum peccatorum.

Hæc fraternæ dilectionis medicina efficax est, ut singuli homines generis humani membra curentur, & eam, vnde exciderant, spirituales vitam, ac salutem recuperent. Membri namque alienius mala ferè omnia, ad hæc quæ subicimus, possunt facile reuocari. Aut enim mortuũ est, aut noxio aliquo humore infirmum, ac imbecillum est, aut plaga & vulnere aliquo affectum est, aut ab alijs membris discissum, & separatum est; aut tandem ab actione sibi & corpori necessaria, aut vtili impeditum est. His omnibus malis fraternæ charitas optime medetur, & nos ad vitam, ac salutem mirabiliter transfert. Nam cordi nostro tamquam salubre medicamentum applicita, nos mouet; ut noxios humores peccatorum, quæ nos ipsos, primos vtique & propinquissimos fratres infecerant (nullus enim tam proximus, ac frater, quàm quisque sibi ipsi) per veram ac luctuosam compunctionem expellamus, & ad spirituales vitam redeamus. Quare Ioannes Apostolus ex dilectione fraternæ sapienter vitam spiritus infert. Nos scimus (inquit) quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.] Ac si diceret: Manifestè cognoscimus diuinam virtute, nos fraternæ charitatis beneficio à morte peccati ad vitã gratiã fuisse translatos, quæ charitas nexus est nos Deo vitæ nostræ coniungens, & proximis tamquam eiusdem corporis membris deuiciens. Nemo interroget hominem (ait Augustinus) redeat vnusquisque ad cor suum, si ibi inuenit charitatem fraternã, securus sit, quia transit de morte ad vitam.] An non mors animæ separatio est à Deo? & vita animæ vnio est cum Deo? Sed hæc vnio ex vnione ad fratres dignoscitur, & quando hæc verior est, & (vt ita dicam) intimior, tanto maior est vnitas inter Deum & nos, & tanto maior est, & inseparabilior vita spiritualis, qua viuimus. Circulum fingite mundum esse, (ait Beatus Dorotheus) centrum autem circuli Deum, lineas autem

Genes. 3.

Deut. 5.

D

E

1. Ioan. 3.

Aug. tra. 5. m. 106.

Dorothe. doct. 6.

à circulo

à circulo in centrum diductas vias credite varias, negotiationeque mortalium.] Et post pauca. Hæc est enim charitatis vis, & natura: Quod enim magis à Dei dilectione recedimus eò & à proximi amere distamus; Quantò Dei charitati adharemus, tantò & proximi; quantòque proximo, tantò & Deo.] Hinc autem manifestè intelligitur quorundam deploranda fatuitas, qui charitatem & mutuam pacem periculo exponunt, vt alia minora bona promoveant: similes illis, qui cor offerrent vulnerandum, vt digitulum pedis illæsum custodirent. Vt enim ignorantia est vilissimos cineres recondere, & purissimam simulam in ventum spargere; fæces continere, & oleum effundere, pro aqua contendere, quæ vbiq; inuenitur, & vinum pretiosum amittere: ita profectò inficitia est, vt tuam voluntatem expleas, quam abnegare debuisses, vel, vt aliis, siue in anima siue in corpore prois, teipsum perdere, pacem congregationis violare, & sanctissimam fratrum dilectionem dilapidare, & sanctissimam fratrum dilectionem dilapidare, & consumere. Perinde quippe est, ac si, vt lapidem muri possideas, portam amittas, per quam in cæleste regnū es ingressurus. Virtutes enim aliæ sunt lapides, pulchri illi quidem, & politī, quibus murus cælestis extruitur; sed charitas est porta, per quam ad ciuitatem supernam manet introitus. Angelus enim apud Ezechielem mensus est vestibulum portæ octo cubitorum, & frontem eius duobus cubitis. Ille introitus templi duobus cubitis cōstans, secundū Gregorium, meritum vitæ præsentis significat, quod ex duobus operibus, ex amore videlicet Dei, & ex amore proximi constat. Nisi enim in istas ianuas incurramus, & per illas ingrediamur, non est nobis locus in templo Dei, per quod patria cælestis exprimitur, sicut scriptum est: Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.]

Ezech.
40.
Greg. bō.
16. in E-
zech.

Psal. 10.

Charitas fraternæ est, quæ morbis, & noxio humore animam liberat, quoniam sine illa innumeris vitiis subdimur, vitali calore, & sensu, ac motu caremus, & inquietudinem, & turbationem, quæ morbum sequi solet, incurrimus. Quis explicare poterit, quàm multis vitiis, ò religiose, sine charitate fraternæ subiciaris? Si enim Prælatum non diligis, non obedies ei saltē voluntate, & iudicio; sed erubescens, aut cōmoditatis intuitu, aut timore coactus. Si tui spiritus magistrum non amas, non credes ei, neq; eius cōsilia suscipies, neque documenta, ac si essent diuinitus data, reputabis. Si erga fratres amore non affeceris, ò bone Deus, quantis suspicionibus eruciaberis, quanta impatientia torqueberis, quot modis humani generis aduersarius tibi illudet! Inter has verò cordis procellas, ob dilectionis absentiam excitatas, quibus singulis momentis succumbes, quomodo sanus eris, quo pacto proficies in exercitatione virtutum? Quis etiam edicet, quàm frigidus es, si hunc fratrum amorem contemnas? Nā sicut palmiti nihil magis necessarium est quam vt viti, & aliis palmitibus copuletur; à vite enim vitam, & à palmitibus aliis iuuamē, & fomentum accipit, vt fructus ferat: ita viro spirituali summè necessaria est charitas, qua & Christo capiti ad vitam, & aliis congregationis membris ad fomentum annectitur. Neque verò cogitare potes; satis est mihi si Christo dilectione vnias, hominibus autem charitate necessarium vniri non reputo. Huic enim vanæ obstat cogitationi Apostolus Ioannes, dicens: Qui non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non videt, quomodo potest diligere? Si eum non diligit, quem luminibus cernis, intelligentia cognoscis, beneficiis experis, quomodo credemus te Deū diligere, quem neque oculis vidisti, neque intellectu comprehendisti; & licet ab eo omnia bona euenisse

1. Ioan. 4.

A credas, id tamen obscure, & non manifestè cognouisti? & quis tandem intelliget, quàm sine motu, & sensu miserabiliter iaces, dū nō niteris fraternam charitatem acquirere? Qui enim non amat, multa dicit, & facit molesta, & iniuriosa fratribus; nec sentit: Valde difficile est ei ad obsequia infirmi, vel senis, vel alterius indigentis moueri; caret enim potentia motrice charitate, quæ excitat nos, & vires suppeditat, vt libenter fratribus inferuiamus. Bene profectò Dominus fraternam charitatem, non solum in animæ medicamentum applicat, sed etiam in prouerbis cor vitæ spiritualis appellat, dicens: Fili præbe mihi cor tuum,] quoniam veluti in medio virtutum sita, non solum nos sanat, sed etiam eis calorem, sensum, & motum subministrat. Quis enim sine charitate, bene, vt necessarium est; obedientiam tenuit, mansuetudinem seruauit, humilitatem custodiuit? Horremus valde cuiusvis membri corporis vulnus, tum ob dolorem, tum quia tam magnum esse potest, & immedicabile, vt vita nos priuet; sed multò magis timemus vulnus cordis, nam licet minimū, irremediabile est, & in certissimum nos vitæ discrimen adducit. Sic prorsus omnia peccata timenda sunt, nam & sunt animæ vulnera, ac vitæ spiritualis plagæ. Somnolentia, dum oras, est vulnus oculorum incuria in opere, vulnus manuum; accidia in rebus tibi iniunctis, plaga pedum: At peccatum in fraternam charitatem commissum, multò magis est detestandum, tamquam vitæ spirituali maximè aduersarium, quia vulnus cordis est, & veluti à corpore separat, & ab aliis membris, quibuscum eramus colligati, nos abscondit. Quare omni sollicitudine seruanda est, ab ipsa enim tamquam à corde, vitæ spiritualis functiones emanant, charitatēque deficiente, vniuersæ fugient virtutum actiones. Si fratrem non amas, facile ei te anteponis, & modestiam, atque humilitatem amittis, temerè iudicas, & iustitiam perdis, sine causa irasceris illi, & mansuetudinem deseris; efflagitantū opem, non succurris, & misericordiam derelinquis. Serua cor, tene charitatem, quam regula petit; aliorum exempla docent, mandatum Christi præcipit, & vitam spiritualem conseruabis.

Preu. 23.

At quàm efficaciter fraternæ charitas plagas nostras, ac vulnera curat? Id solus verus amator nouit, solus vim charitatis expertus poterit explicare. Si intellectus cacitate, & ignorantia vulneratus est; & fratrum verba, & opera praposterè interpretatur; charitas est, quæ ipsum illuminat, vt sincerè valeat aliorum dicta, & facta respicere, & nihil mali, vbi malum non est, temerariè iudicare. Quamobrem Angelo, aut Episcopo Laodicæ à Domino dictum est, vt collyrio amoris fraterni inungat oculos suos, quia videlicet sine illo homo vilitate proprii amoris affectus, cæcus est, & nec acta sua prudenter examinat, nec aliorum opera candidè & simpliciter iudicat. Collyrium re vera est amoris fraterni præceptum, de quo in Psalmo inquit Dauid, Præceptū Domini lucidum, illuminans oculos. Nihil enim sancto amore clarius nihil lucidius, qui non sicut profanus amor oculos mentis excecet, sed eos perspiciatissimos reddit, vt proximorum mala misericorditer & bona iocundè, atque hilariter videamus. Si appetitus inordinatis affectibus plagatus est charitas illum sanat, affectus moderatur; & ineptos animi motus sedat atque componit. Hæc enim genus humanum ad quandam similitudinem status innocentie quodammodo reuocat. Nam sicut in illo esset inter homines summa pax, consensio grata, vita iucunda: ita charitas eos pace, & concordia ligat, & sensuum vniōne deuincit. Vbi autem idem est sensus, eadem voluntas, non

Apo. 3.

Psal. 18.

Hugo ad
regulam
Aug. c. 1.

Cap. 3.

Rom. 8.

Rich. de
gradibus
charit. c.
1.

Matth. 5.

Aug. lib.
50. b. b. b.
40. c. 5.

preest esse, aut contrariorum desideriorum intestinū bellum, aut affectuum mutua discordia. Caritas fratres efficit, non carnales, sed spirituales, quare omnem affectum inordinatum curat, ut rixandi materiā de medio tollat. Fratres carnales communionē sanguinis colligati (ut ait Hugo Victorinus) quod commune est eis diuidunt: spirituales, amoris vinculo deuincti, quod diuisum erat, in communi ponunt. Ibi quisque quod suum est, quarit, isti non quæ sua sunt, quarunt, sed quæ Iesu Christi. Plus ergo valet ista propinquitas quàm illa, quia illa deficit, ista crescit; illa habet diuisionem, ista vnitatem; illa transit cum seculo; ista permanet in futuro. Ad hoc enim simul in vna domo viuimus, ut postmodum in cælesti regno maneamus. Hæc ille paucis immutat. Ista ergo spiritalis fraternitas, quæ non est alia quàm charitas, vt omnem discordiæ materiā abscindat, affectus sanat, & propriæ commoditatis amorem tollit. Si tandem vis, quæ bonum exequimur, infirma, & imbecilla est, charitas illam roborat, & in fratrum utilitatem fortem, & inuictam reddit. Quod sanè ipsa experientia quotidie clamat. Quis enim amans statim ad id, quod amat amplectendum non animatur, non vires concepit, non neruos acquirit? Verè fortis vt mors dilectio quæ amatores ad mala pro fratribus toleranda penè insensibiles reddit, & vt bonum, quod cupiunt in illis assequantur, nihil arduum, aut difficile esse cognoscit. Ipsa est, quæ Sanctos in periculis positos dicere cogit cum Paulo: Sed in his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos. Prorsus virtus omnipotens (vt inquit Richardus) quæ ipsas miseras facit potentes dum conuertit in adiutorium, quæ paratæ sūt ad nocendū: quæ suffulti milites Christi impauidi certant, certi de victoria in medijs periculis incedūt tutissimi, nec dæmonē, nec hominē metuentes. Charitas ergo efficax medicina est, quæ omnibus plagis nostris remedium adhibet, & quod proprium perfectionis est, mentem ad perditam sanitatem reducit.

Qua profectò salute spiritali dignatos inquietudine, & turbatione liberat, quæ semper ab inepto, & inordinato amore promanat, à plagis nostris proficitur, & ad quietem & tranquillitatem sanctæ orationis iuuat. Hic enim dulcis somnus salutem ipsam spirituales, susceptos fratrum gratia labores & charitatis perfectionem subsequitur. Interdum sanè nobis contingit, vt cor nostrum ingredi nesciamus, ad adorandum Deum in spiritu, & veritate: euenit, vt ianuam oclusam inueniamus, cælum quasi ferreum experiamur, & ariditate animi, ac vanis cogitationibus turbemur. Quid mirum si hanc spirituales salutem non habemus? Fratrem minus quietum nostris detractionibus reddidimus; famam & bonam corū alius opinionem abstulimus; vanas opinionones sine fundamento de illo conceptas disseminauimus; tepidæ vitæ exemplis læsimus; ira & indignatione nostra turbauimus: quidni ad altare Dei, hoc est ad interiora mentis, accedere prohibeamur? Si offers munus tuum ad altare (dicit Dominus) si inquam intendis munus Deo gratum, donum ei immaculatum offerendum præparas, recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid aduersum te, dimitte ibi munus tuum ante altare, super sede paulisper ab hac orationis oblatione, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum: ita vt in odorem suauitatis accipiatur. Hoc ita docet Augustinus. Quicumque habetis discordiam cum fratribus vestris, & reuocatis vos ad vos, & consideratis vos & iustū iudicium fertis in vos, intus in cordibus vestris, & inuenitis vos non debuistis facere, quod fecistis, non de-

buistis dicere quod dixistis: Petite veniā fratres à fratribus vestris, facite fratribus quod ait Apostolus: Donantes vobis ipsis, sicut & Deus in Christo donauit vobis. Facite, nolite erubescere veniam petere. Cui his verbis concinit Gregorius: debemus itaque ad proximū quāuis longè positum, longèque disiunctū, mēte ire; eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare; vt scilicet conditor noster, dum tale placitum mentis aspexerit, à peccato nos saluet, qui munus pro culpa sumit. Hæc sanè fuit consuetudo religionis antiqua, Domini præcepto confirmata, vt se inuicem licet in minimis rebus offendimus, inuicem veniam peteremus. Iam verò mos iste obsoleuit, & cum vera simplicitate ablegatus est. Qui alium lesimus, non petimus veniam sed quarimus indignationis prætextus, declinamus cor nostrum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Quod autem Dominus tam dilucidè in noua lege mandauit sub quodam velamine, vt pleraque omnia, in antiqua lege præceperat, dum ad vestem sacerdotalem coccum, illudque bis tinctum iussit adhiberi. Quid enim inuit coccus, aut purpura bis tincta, sine qua sacerdos ad altare accedere prohibetur, nisi Dei & proximi charitatem, quæ viros sanctos exornat, & idoneos reddit sacrificijs Deo, atque holocaustis offerendis? Celebrat Deus conuiuium in nobis, conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullarum, vindemiæ defæcatæ. Conuiuium enim est contemplatio diuinorum, qua mens sanctis affectibus satiatur, & vino pretioso inebriatur diuinarum illustrationum. Sed huic conuiuium illis solis patet ingressus, qui stola nuptiali, indumento bis tincto charitatis sunt exornati: non tamen illis, qui sordet inordinato sui ipsorum amore, veste scilicet sordida, atque profana. Hæc est sola prima, qua prodigus ille filius induitur, priusquam in domum religionis recipiatur, & ad Christi conuiuium admittatur. Prima quidem necessitate, sine qua homo non filius Dei, sed filius Diaboli apparet, & prima dignitate, quæ Dei paternæ viscera emollit, vt nos non extraneos, sed filios esse cognoscat. Hac induimur, antequam vitulo faginato vescamur. Nam qui oculos claudit, ne fratrum indigentiam videat, & viscera obdurat, ne alienam penuriam sentiat, illique subueniat; & iniuriam à se fratri, illatam rescire non curat; indignus est oculos apertos, & cor blandum, atque suauiter experiri, quo erga vitulum, hoc est, Christum passum amore & sanctis desiderijs afficiatur. Merito igitur hæc perfectionis pars Christi præceptum, ac sapientissimi animarum medici mandatum appellata est, quæ sola sufficit ægrotationes veteris Adæ curare, & nos noui Adæ, Iesu Christi filios efficere.

Perfectionem fraternæ charitatis præceptum
Christi vocari ob aliam perfectionis proprietatem, quod membra status
religiosi coniungat.

CAPVT XXXII.



ON solum fraternæ charitas pars perfectionis est, ex eo quod iustos sanat, sed etiam quia quatenus sunt membra vnus corporis nexu suauissimo ligat, imò & ipsa est præcipua causa, vt vnū mysticum corpus efficiant. Quod in solo religioso statu, quem ad perfectionem capessendam allicimus,

Ephes. 4.

Gregor. 4
dial. c. 60

2/ai. 40.

Exod. 28.

Isaia 25.

Luc. 15.

nunc